



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XI. Quales personae debeant contrahere matrimonium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

domibus suis sub incontinentiæ voto tenuerint, aut abiiciant eas, & continenter viuant, aut ab officio & beneficio ecclesiastico fiant alieni. His etiam annectimus, vt clerici non intersint tabernis & publicis potationibus. Hinc etenim accidunt contentiones & rixæ, adeo quod laici quandoque clericos verberantes incidant in Canonem. Qui cum ad papam mittantur, non est æquum quod clerici, qui culpa sua quodammodo tamen dedere delictum, maneant impuniti. Clerici etiam omnes habitum habeant clericalem, & tonsuram canonicam. Archidiaconi autem, & alii in dignitatibus constituti, & presbyteri cappis manicatis vtantur. Saluo in omnibus, &c.

## XI.

Vir non contrahat cum aliqua consanguinea olim vxoris suæ; similiter nec vxor cum aliquo consanguineo quondam viri sui. Et susceptus in baptismo non contrahat cum filia baptizantis, vel suscipientis, ante vel post genita. Nec contrahatur aliquod matrimonium sine trina denuntiatione publica in ecclesia, neque si fuerint personæ incognitæ. Sed nec copulentur aliquæ personæ matrimonio, nisi publice in facie ecclesiæ, & præsentem sacerdote, & si secus factum fuerit, non admittantur alicubi in ecclesia, nisi speciali auctoritate episcopi. Nulli etiam coniugatorum liceat iter remotum peregrinationis arripere, nisi mutuo consensu publicato. Saluo in omnibus, &c.

## XII.

Diffamati fama publica, vel verisimilibus indiciis